



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

§. 1. Quis sit Iudex.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

rum: nisi forte extra Monasterium degentes deliquit: tunc quo casu Conc. Trid. Ordinariis Judicibus diocesis jurisdictione in eos delegavit, *Sess. 6. c. 5. Sess. 7. c. 14. Sess. 14. c. 4. De reform. sicut & quando degentes in monasterio extra Monasterium notorie & cum scandalo delinquant, Sess. 25. c. 4. De reformat.*

9. Præterea Abbatis in Moniales & subiectos sibi Clericos, *cap. Dilecti 1. inf. De majorit. & obed.* quos tamen excommunicare nequit, uti nec absolvere à peccatis, aut suspendere ab actu Ordinum, vel alia in eos exercere, quæ pendet à potestate clavium, cujus ipsa est incapax, *cap. 9. inf. De pœnit. & remiss.* Potest tamen ad hæc implorare officium Episcopi, *d. cap. Dilecti.*

10. Vbi verò Monasteriorum Prælati in suis subditis corrigendis negligentes fuerint, licebit Episcopis eorum negligentiam supplere, *cap. Quanto 7. h. t.* prout etiam supplere malitiam vel negligentiam delegati à summo Pontifice, *c. Significavit 6 h. t.* quantumvis delegatus alias major sit Episcopis *cap. Pastoralis 11 h. t.*

Denique Archidiaconi, Archipresbyterorum, Archipresbyteri, Presbyterorum sunt iudices ordinarii.

Prohibeatur fieri Iudices Ordinarii, servi, famulæ, nisi sint Regiæ, Principis, Comitissæ, vel habeant administrationem, ut Abbatis. Item minor viginti annis, nisi fiat à Principe: ignari & improvidi: & denique qui famam laborant, ut excommunicati, Schismatici, hæretici, & similes.

## TITULUS XXXII.

### De officio Iudicis.

#### §. I.

#### Quid sit Iudex?

1. 2. *Quis dicatur Iudex, & unde.*

3. *Qui, & ex qua causa, potestatem judicandi non habeant.*

**R**ECTè deinceps sequitur de officio Iudicis in genere, prout est commune Judi-

cibus, Delegato, Legato, & Ordinario.

1. Dicitur autem Iudex, qui publicam habet de causis & criminalibus cognoscendi & iudicandi potestatem, quam jurisdictionem appellat. Dico, publicam, ad excludendum arbitrium, qui non est Iudex, nec potestatem iudicandi publicam habet, sed privatam, nempe ex consensu privatorum, qui iudicem facere nequeunt, *Privatorum C. De iurisdic. omnium iudic.*

2. Dicitur verò Iudex, quasi jus dicens populo, sive quod iure disceptet, Iure autem disceptare est iuste iudicare. Non est ergo Iudex, si non est in eo iustitia, *c. Fortis §. In omni inf. De verb. significat.*

3. Potestatem iudicandi habent quilibet non prohibiti, Prohibentur alii ex defectu aliquo naturali, ut furiosus non habens lucida intervalia, surdus, mutus, impubes, quia iudicio caret. Et talis defectus potest quandoque obijci, etiam postquam sententia transiit in rem iudicatam, & quando cumque obijcitur, reddit iudicium retro nullum. Maranta, *4. p. Spec. auri Dist. 16. n. 3.* Alii ex accidentali, & inducto per jus positivum, ut quia iudex sit infamis, servus, excommunicatus, Senatu motus, *can. Infamis §. tria sunt 111 q. 7. l. cum Prætor §. non autem omnes D. De iudicis, & ibi Glossa.* Et tum, si defectus sint notorii ac manifesti, possunt quando cumque opponi ad invalidandum iudicium, quando scilicet sunt tales, qui ipso iure iudicium, invalidum reddunt: ut si Iudex sit servus vel excommunicatus, *c. Ad probandam inf. De re iudicata, c. Pja. De except. in d. c. Scisciatum 12 sup. De rescriptis.* Secus statuendum de defectu infamiae, qui si non opponatur ante litem contestatam, valet procellus & iudicium, Maranta *d. loco.* Sin defectus sint occulti, tunc distinguendum, ut per Abb. & Felinum, *in d. c. Scisciatum.*

#### §. II.

#### Quod sit officium Iudicis?

1. *Iudex est providere litiganti, de advocato.*
2. *Oportet esse virum bonum & probat a vita.*
3. *Legisperitum, & iudicare secundum leges.*

**O**fficium Iudicis latissime patere, ait Jurisconsultus in *l. 1. D. De iurisdic. om. iudicium.* id est: tam extra iudicium, quam in iudicio: quod